



Urkunden-Sammlung zur Geschichte der auswärtigen Verhältnisse der Mark Brandenburg und ihrer Regenten

...

namentlich in Beziehung auf Anhalt, Bayern, Böhmen, ... und andere
Länder ; [Urkunden-Sammlung für die Geschichte der auswärtigen
Verhältnisse]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1848

MDCCCLX. Erzbischof Johann von Magdeburg transsumirt öffentlich den
Verleihbrief des Königs Ludwig des Bayern für seinen Sohn Ludwig über
die Mark Brandenburg und die Grafschaft Wernigerode vom Jahre ...

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56633)

MDCCLX. Erzbischof Johann von Magdeburg transumirt öffentlich den Verleibbrief des Königs Ludwig des Bayern für seinen Sohn Ludwig über die Mark Brandenburg und die Grafschaft Weruingerohe vom Jahre 1324, am 27. Juni 1467.

Johannes, dei gracia sancte Magdeburgensis ecclesie Archiepiscopus, Primas Germanie, Comes Palatinus Rheni et Dux Bavarie, uniuersis et singulis presentes nostras literas seu presens publicum Transumptum visuris et auditoris salutem in Domino et infra scriptis fidem adhibere indubiam. Literas diue memorie Domini Ludouici Romanorum regis et semper augusti ipsius regalis maiestatis vero sigillo rotundo cere glauce impresso in filis sericis glauci viridisque colorum impendente more sue regalis curie sigillatas sanas et integras non viciatas non cancellatas neque in aliqua sui parte suspectas, sed omni prorsus vicio et suspitione carentes nobis per illustrissimum principem Dominum Fredericum, Marchionem Brandenburgensem sacri imperii Archicamerarium — consanguineum nostrum carissimum coram Notario publico et testibus infra scriptis presentatas, et coram populo altante et eisdem testibus publice primum lectas, nos cum ea qua decuit reuerencia noueritis recepisse huiusmodi sub tenore, — Nos Ludeuicus, dei gracia Romanorum Rex semper augustus. — Datum et actum in Norinberg, in die Sancti Johannis Baptiste, anno domini Millesimo tricentesimo vicefimo quarto, regni vero nostri anno decimo. — Post quarum quidem literarum regalium presentationem et receptionem nobis et per nos, ut premittitur factas, fuit nobis per memoratum Dominum Fredericum, Marchionem, Ducem et Burggrauium consanguineum nostrum carissimum sollicita insinuatione propositum, quod cum tempore profuorum ac principatum et dominiorum suorum ac illorum iurium priuilegiorum et honorum conseruacione sepe dictis literis indigeat, sitque difficile eas sine dampno et periculo hinc inde ad plura circumferre loca, unde a nobis quatenus ipsas per Notarium publicum transumi et transferri, ac transumptum huiusmodi cum ipsis originalibus literis collacionari et auscultari facere, nec non de post transumpto huiusmodi decretum et auctoritatem nostram interponere dignemur, debita existit cum instantia supplicatum. Nos vero Johannes, Archiepiscopus, Primas, Comes Palatinus Rheni et Dux antedictus, attendentes requisitionem huiusmodi fore iustam et consonam rationi, idcirco dictas literas regales per Notarium nostrum publicum infra scriptum transferri, exemplari et transumi, ac cum ipsis literis originalibus fideliter auscultari et collacionari fecimus, et quia per diligentem examinationem auscultationem et collationem repperimus, huiusmodi transumptum et exemplar cum ipsis literis regalibus in omnibus et per omnia de verbo ad verbum concordare nihil inmutato, addito vel obmisso, quod substantiam seu intellectum earundem quomodolibet posset inmutare aut variare, sigillum quoque dictis literis appensum, in quo erat imago regis sedentis super solium, habens coronam in capite, ceptum in manu dextra et pomum in sinistra impressa, in eius circumferentia erant hec litere circumposite: Ludeuicus, dei gracia Romanorum rex semper Augustus, fore verum et solitum memorati domini regis sigillum maiestatis, ac sanum et integrum, nec in materia aut forma seu alias quomodolibet viciatum, unde decretum et auctoritatem nostram prefatis literis seu transumpto huiusmodi duximus interponendum, ac presentibus interponimus,

decernentes eidem transsumpto nostro seu literis nostris hujusmodi, ubique locorum in iudicio et extra, uti ipsis literis originalibus standum credendum ac plenam fidem per omnia fore adhibendam. In quorum omnium et singulorum fidem et testimonium premissorum presentes nostras literas seu presens publicum Transsumptum exinde fieri et per Notarium nostrum publicum infra scriptum subseribi et publicari mandauimus, nostri quoque sigilli iussimus ac fecimus appensione communiti. Datum et actum in pretorio Gardelegen, sub anno domini Millefimo quadringentesimo sexagesimo septimo, indictione quinta decima, die vero veneris, vicesima septima mensis Junii, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri Domini Pauli diuina prouidentia Pape secundi anno tercio, presentibus ibidem illustribus principibus Dominis Wilhelmo, Heinrico, Frederico, et Ottone fratribus ac patruis in Brunswig et Luneburg, Johanne Saxonie Westualie et Angarie Ducibus, Alberto principe de Anhalt et Comite Aschanie, nobilibus et generosis Odalrio Comite de Reinstejn, Godeschalco nobili de Pleffe, venerabilibus ac egregiis Andrea Hasselmann decretorum Doctore, Mauricio Schonaw in Decretis Licenciato, Canonicis ecclesie Magdeburgensis, strenuis ac validis Johanne de Oldernshusen, Gunzelino de Velthem, Rudolpho pincerna de Flechtingen, Conrado Ruschenphul, Bussone de Aluenfleue, militibus, prouidis ac circumspicis Henrico de Vffler Goslariensis, Conone Roden Magdeburgensis, Heinrico Horneburg Brunswicensis, Ludolpho de Herlsem Hildensemensis, Giselero de Münden Gottingensis, Gabriele Slanstete Halberstadenfis, Conrado von Lo Eimbecensis, Theodorico de Winchem Honouorienfis, et Burcardo Eluerfen Northeimensis civitatum Proconsulibus et Consulibus et quam pluribus aliis fide dignis ad premissa vocatis specialiter et rogatis.

Et ego Conradus Beker, Clericus Osnabrugensis Diocesis, publicus apostol. et imperiali auctoritatibus Notarius, quia hujusmodi literarum Regalium presentacioni lectioni etc.

Gezzen's Cod. VII, S. 353—356.

MDCCLXI. Papp Paulus bestätigt der Johanniter-Ordens-Ballei Brandenburg das Recht, den Herrenmeister durch ihre eigenen Commendatoren zu erwählen, am 11. Sept. 1467.

PavlvS, Episcopus, Servus Servorum Dei, Venerabili Fratri Episcopo Lubucensi, Salutem et Apostolicam Benedictionem. Romanus Pontifex cunctarum et presertim personarum Religiosarum tranquillitati studiis assiduis intendens, illis libenter annuit, per que inter eos iurgiorum contentionumque seponantur anfractus, et his, que propterea provide facta sunt, ut illibata persistant, libenter adjici mandat Apostolici muniminis firmitatem. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte Dilecti Filii Baillivi et Preceptoris Baillivie Marchie Brandenburgensis, Hospitalis S. Johannis Hierosolimitani, petitio continebat, quod quatenus olim